SERMONES HABITI PRO CALENDA IN INSIGNI ECCLESIA GRANATENSI, annis à Natiuitate Dñi. 1607. & 1610.

PER LICENCIATVM BARTHOLOMEVM de Alcaraz Clauijo.

PRAECLARISSIMO, ET REVERENDISSIMO Principi D. D. Fr. Petro Gonzalez à Mendoza, Granatensi Archiepiscopo meritissimo. D.



Cum licencia, Granatæ apud viduã Sebastiani de Mena. 1611.

HAS duas enarrationes in vigilia Natiuitatis Saluatoris nostri publice concionatas coram illustrissimis & Reuerendissimis Dominis Archiepiscopis D. Petro de Castro & Quiñones, & D. Fr. Petro Gonzalez à Mendoza, & in presentia Capituli huius almæ Ecclesiæ Granatensis occulatius inspexi; quarum doctrina adeo consona est fidei Catholicæ & Patribus orthodoxis, vt prælo mandari possint: nec enim in eis latet quid dissonum fidei nec moribus, nec disciplinæ fidelium; quarum author in dicendo & terse loquendo manifestat ingenij sui vires. In quarum fidem propria manu subscripsi, in Diui Francisci Granatensis. 16. mensis Ianuarij. anno 1611.

Fr. Ioannes Ramirez.

VISA approbatione admodum Reuerendi Patris Fr. Ioannis Ramirez Prouincialis Ordinis Seraphici Patris Francisci, & in sancto Inquisitionis officio propositionum ad fidem pertinentium censoris. Hæ duæ declamationes typis mandentur. Datis Granatæ. 19. mensis Ianuarij. Anni 1611.

Licenciatus. D. Petrus de Molina.

Ante mi Alonso Vazquez
Notario.

PRAECLARISSIMO, ET REVErendissimo D. Domino meo, D. Fr. Petro Gonzalez á Mendoza Archiepiscopo Granatensi. S.

NOBILIS ille solicitus, & sagax (illustrissime, & Reuerendissime Princeps) opima futilium diuitiarum luculentia præpotens, & reipublicæ præpositorum præsul excellens, sublimium desideriorum ardenti sedulitate flagrans, corporis tamen proceritate pusillus, nomine Zachæus, supremum illum ditissimorum præsulum ingredietem, & perambulantem Ierichò, illi præ turba circunstantiū inaccessum cupiēs aspicere, in sublimem arborem ascendēs intuitus est. Quem etiā dominus intuens (semper enim intuitur intuentes) descendere iubens, & in illius domo familiarissime remanēs, magnificis laudibus honorauit, & eximia salutis, & aliorum donorum supernaturaliū gloria liberaliter insigniuit. Te similiter ego, Princeps illustrissime, corporis, ingenij, ac meritorū proceritate pusillus, desideriorum tamen nobilitate pollens, præ turba tot procerorum principum, te perillustri sanguine comitantium, non solum mihi, sed omnibus inaccessum videre cupiens: Arborem istam tot reuirentium, & fertiliū virgultorū frondositate sublimem, excelsum scilicet ca- Luc. cap. 19.

pitulum Granatense suspiciens, in illius ramos, humeros scilicet me, cæterosq; pusillos protegentium & subleuantium ascendens; Te, ciuitatem nostram fœlicibus auibus ingredientem clarissimum Archipræsulem respexi, me, non descendere, sed ascendere iubentem, non discumbentem in mea domo, sed immeritum me in amplissima tua remanere mandantem, & honorificis laudibus commendantem. Ne igitur me tot benefitiorum pondera remunerare non valentem; animum etiam gratum nullatenus ostendentem, aliqui velut ibi Lucas enarrat Pharisei murmurent. Hoc tibi, licet minimum, & insufficiens munusculum non vt munus, sed vt protegendum offerre decreui: Illi Princeps illustrissime tua mirifica benignitate faue, ipsumq; tua benignissima protectione foue. Vale.

Licenciatus Bartholomeus de Alcaraz Clauijo.

Ecce ego nunc dicit Dominus omnipotens commouebo cælum & terram. Ex prophetica lectione Aggæi, cap. 2.

RERVM excellentiom omnium, & infimarum etiam ex archetypi, ac idealis mūdi nutu mirabiliter eductarum huic ipsi nutui obtemperantissimum obsæquium cognoscens diuinus psaltes, de præcipuis illarum, scilicet, volubilibus pendentium cælorum orbibus, atq; iacenti terra *Psal. 134 Dicit omnia quæcumq; voluit Deus fecit in cælo, & in terra.* Et ita cælum & terram (vtpote quæ nullatenus relluctabuntur) sæpe sæpius inuitat ad infinitam ipsius liberalitatem, qua summis nos prosequitur beneficijs decantandam. Sicuti *Psal. 95 Lætentur inquit cæli, & exultet terra.* Gestientibus hilaritatis dulcissimæ, ac inamissibilis lætitiæ iubilis exultantia incipiant commoueri cælum & terra. Et reddit rationē, *Quoniam venit, quoniam venit iudicare terram:* quoniā exhibitorum nobis adhuc, & exhibendorum deinceps munerum abundantium compendium misteriosum, Deum scilicet hominem factum spiritu prophetico contemplabatur. Propter quod idem hodie noster propheta eosdem cælos, & eandem terram eisdem faustæ dulcedinis exhilarata gaudijs commouendā decantat. Quia venit pacificus, & diuinus Samuel in Bethleem ad sacrificandum Domino. 1. Reg. 16. ei narratur Samuelem vitulam, & olei vas portātem in Bethleem, vt Dauidem vngeret in Regē, senioribus id interrogantibus respondisse, pacifice ad immolādum Domino venire. Similiter hodie venit diuinus iste Samuel sanctissimam vitulam humanitatis, & in-

finitæ misericordię, ac lenitatis oleum adducens, ad immolandum pro nobis verum sacrifitium, pacifice venire declarans, vniuersum terrarum orbem Cæsaris iussu describens, & lætantium Angelorum publico præconio pacem indicens. Sed si præclarum istud nuntium, nō homo, nec angelus, sed angelorum multitudo pastoribus declarat, quis audacissimus inuenietur homo, qui nō barbaris, & rusticis pastoribus, sed præclarissimo huius almæ Granatensis Ecclesiæ pastori, non hominibus, sed angelis (sic enim sacerdotes appellātur) illud mee audeat declarare? Ps. 86. Dicit regius vates. *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea.* Vertit D. Hieron. nunquid ad Sion dicet homo? Impossibile est hominem reperiri, qui tanta præstantium benefitiorum pondera valeat nuntiare Siō: quod scilicet, qui eam fundauit altissimus nascetur in ea factus homo. Et sic imposibile putans inferius dicit. Dominum ipsum nobis in scripturis diuinis nuntiaturum. *Dominus narrabit in scripturis populorum.* Sed non ideo nos in earundem scripturarum explanatione mutos, & elingues hodierno die patietur, qui nos admonet per Isai. c. 12. dicens. *Notas facite in populis adinuentiones eius*, inexcrutabiliū, scilicet consiliorū rationes profundissimas, quibus nos ab humani generis hoste vindicauit. Mandatum igitur eius exequentes, quæramus ip sum, vt opem eflagitemus. Inueniemus equidem, sicut pastores, Mariam, & infantem positum in præsepio. Inueniemus prius Mariam pluribus spetialibus titulis lætantem, ad infantem enim excellentissimum Iesum, vt D. Bernard. asserit, nullo modo nisi per Mariam possumus accedere. Sidus istud ergo fulgentissimum aspiciamus, & ne inter tumentes huius æquoris vndas reciprocis vndequalibet timoris fluctibus agitatus exanimer, multi-

tudinis

tudinis in numero radiorum gratiæ in ipsa refulgentium aliquem saltim suppliciter poscamus, dicentes Aue Maria.

Ecce ego nunc dicit Dominus omnipotens commouebo cælum, & terram, ex prophetica lectione loco, & cap. vbi supra.

IN illo præclaro, ac misterioso vaticinio, quando euangelicus Propheta.c.6.rutilãtis, & aurati throni sublimem luculentiam, inter angelorũ circumvolitantium agmina fulgentem meruit intueri, rem quidem portentosam, & admirabilem enarrat; quod scilicet, quando vniuersa terra cuncti potentis Domini solium illud excelsum occupantis prælucenti gloria perfusa fuit: eodem tempore commota fuere superliminaria cardinum, & tota domus atra fumantiũ nebularum caligine fuit offussa. Quod quidem omniũ id attenta mentis consideratione contemplantium animos in magnam rapit admirationem. Nam in ostẽdenda magnificæ gloriæ eximia maiestate, magis videretur eminere cælestium illorum astantium spirituum agglomeratæ multitudinis harmonia dulci sonis, & canoris vocibus mirificas domini laudes modulantibus argute resonans: quam sæuities minacis impetus violenta, & stridentium turbinum validitas immanis totam illam domum properate distrumpẽs. Sed quo sedula, & anceps animorum indagantium ambiguitas augeatur: licet considerare: quod non solum Deus hoc fecit, quando gloriam suam voluit ostendere mundo, & Isaiæ: Sed aliàs etiam quando populum suum venit sanctificare. Exo. enim 19.c. Dominus ad sanctificationem populi descendens, reboantium tonitruorum rapiditate procellosa totũ montem Sinai terribiliter concussit, & rutilorum fulgu-

rum

rum inopina flagrantia stupefecit. *Et ecce dicitur cœperūt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, ac totus mons Sinai fumabat.* Quid igitur hoc vnū, & illud alterum significat, nisi quod noster Propheta canit dicens, quod hodierna die, quādo venit idem ille Deus vniuersum mundum sanctificare, & totum illum, ac cælos ipsos (vt angeli cecinere gloria in excelsis Deo) suauissimæ gloriæ dulcedine cumulare commouit cælum, & terram. Nam D. Hieroni. & Cirillus Terram illam tenebrosi fumi opacitatem, quā vidit Isaias, interpretantur de densissimis cæcitatis, & ignorantiæ tenebris Iudæorum mentes offundentibus, ne cognoscerent Christum, quando totus mūdus ex luce prædicationis euangelicæ, & miraculorum claritate fulgentissima natum agnouit. Ergo cōmotionem cælorū, & terræ, quām prædicit Aggæus, in aduentu desideratissimi cunctis gentibus, ad prædicationem istam promulgandam, per commotionē cardium, ac superliminarium adumbrari recte concluditur. Venit enim *saliens in montibus, transiliens colles, vt cant. 2. fatetur sponsa,* incultorum, & inaccessibilium mōtium, scapulosa cacumina superans, & spatiosam patularum collium aclibitatem trāsiliens, atq; vitare cupiens circuitus, & ambitus difficiles, vt c. 40. dicit Isai. omnia illa cōmouens, & æquāns *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Venit etiam disrumpens cælos, vt desiderabat idem Isai. c. 64. dicens. *Vtinam disrumperes cælos, & venires!* ac propterea commouens cælum, & terram. Sed videamus paulatim quomodo cælum, & terram commouit. Dicam prius quomodo commouit (si sic licet) ipsam naturam diuinam, & æterni Verbi personam in cælo, & naturam humanam in terra. Postea indicabo, quomodo stellantium cælorum incholas, & rudis, ac sinuosæ

terræ habitatores commouit. Preterea quomodo ipsum cælum, & ipsam terram: Et tandem alia multa, (prout tempus locum dederit) modum commotionis eorum omnium explicantia ponderabo. Ad commouendam igitur in primis, in quantum fieri potuit diuinam personam, quemadmodum ille, qui maxima vi volens aliquid impellere surgit, surrexit Deus, vt ipse secundum interpretationem aliquorum. Psal.11. dicit. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam.* Necessitatibus miserorum indigentium, & gemitibus amaris, ac orationibus præblandis misericorditer commotus ad opus istud perficiendū exurgam. Et parabo ad illud brachium sanctum meum in conspectu omnium gentium, vt Isai.52.c. vaticinatus est. Totum enim brachium diuinæ, & inexhaustæ fortitudinis ad hoc peregrinum, & admirabile misteriū absoluendum præparauit. Quando in principio creauit Deus nitidam, & ceruleam sublimium cælorum pulchritudinem, radiantium stellarum rutila varietate coruscam, fulgentium vagorum siderum diuersitate decoram, & recurrentium signorum præcipiti volubilitate distinctam, ac tandem illorum omnium in terram benignis, vel aduersis aspectibus infestam, vel salutiferam: Quando creauit pinguem, & lutulētam terrā, suamet soliditate consistentem, siluestriū, ac frondosarum arborum vmbrosa amænitate frondentem, & aliarum pomiferarum fæcunditate frugiferam; fulgidorum, ac odorantium florum grata viriditate coronatam, & illorum suauissima flagrantia dulciter halantem; susurrantibus flexibilium fluuiorum decursibus peruenustam, atq; ductilium ex ipsis riuulorum penetrabili humiditate fæcundam; ac tandem micantium, & illustriū metallorum; & aliarū versicolorum, ac nobilium gemmarum opulentia di

uitem: quando inquam creauit hæc omnia, & alia quam plura numeratu impossibilia: fecit illa ludens coram eo, ludens in orbe terrarũ: vno solo verbo vir-
Psal. 32. tutis suæ: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Quando formauit etiam hominem, fabricam istam stupendam, & insignem, ossium prædurorum nodositate solidam, ærumnosæ carnis imbecilli fragillitate caducam, purpurei sanguinis tabifica irriguitate fotam, ac deniq; musculorum, arteriarum, ac neruorum innumerabili multiplicitate mirabilem: illam etiam perfecit sicuti ludens; aliquantulum de limo terræ subigẽs, & vitam illi vno solo tenuissimo spiraculo largiter infundẽs. Hęc omnia fuerũt opera digitorũ Dei, quemadmodũ Ps. 8. cecinit Dau. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & stellas quæ tu fundasti.* Sed ad perficiendum opus istud inauditum, & singulare surrexit, parauit brachium suum, & fecit potentiam in brachio suo. Sic expostulabat Da-
Psal. 79. uid. *Excita potentiam tuam, & veni:* Ac si diceret, Deus infinitam potentiæ tuæ vim in vnum aggrega, vt cuncta gratiæ, atque naturæ opera super omnem naturæ ordinem ineffabili modo coniungas, & quasi in summam redigas; Res inter se distantes infinite (actum scilicet purum, cum pura potentia, spiritum supremum, cum carne, & increatam personam, cum natura creata) summo quodam vinculo copulans, & commouens verbum tuum vnigenitum, & per essentiam immutabile: Verbum tuum infinitum, per actionem, vt ait Theologus, non transeuntem, sed immanentem, cuius terminus manet intra ipsummet producentem, per actionem illam immanentem intellectus fæcundissimi patris generatum, ac propterea ab æterno in ipsomet patre generante permanens, & apud illum Ioann. cap. 1. testante ab

initio

initio ſtans. Et ita fortiter commouit, vt ſit neceſſe, tenacis fidei lampadem fulgentiſsimam indefinenter ob oculos habere, ne per talem commotionem, & commutatum etiam, & à ſinu patris eductum fuiſſe credamus. Nam hodie nobiſcum commoratur Deus, & nūc aliter ſe habere videtur, ac antea, ideſt cum carne quam ab æterno non habuit, nunc eſt homo, & antea non erat. Quod quidem primo aſpectu nullatenus accidiſſe poſſe videtur, in patris intellectu remanēs, & per ſolam mutationem alterius, vt in 3.p.q.1.a.1.cum D.Tho. dubitatur a Theologis. Quia vt verbum dicatur homo videtur neceſſarium, vt hominem affitiat, & informet, quod quidem ſine ſui mutatione fieri videtur in philoſophia repugnare; Et adeo vrget hoc aliquorum intellectum, vt aſſeueranter affirmauerint, ne mutationē verbi concederent, ipſum verbum æternum propter ſuam infinitam perfectionē vnionem ad humanitatem in ſe, ab æterno præhabuiſſe, etiam ſi illi non fuerit ab æterno vnitum. Sed iſti vt dicunt Theologi ſi loquantur de continentia eminentiali probabiliter loquuntur, ſi vero de formali opinio eſt improbabilis, contrá omnes Theologos, & repugnantiam inuoluens. Sed ne videar in hoc loco quæſtiones ſcholaſticas diſputare, indubitanter, & abſolute dico verbū nullatenus fuiſſe mutatū, propter multas rationes, quæ nō ſunt huius loci: ſed adeo mutatione ſecluſa fuiſſe commotum, vt niſi fuiſſet impoſsibile mutaretur. Ecce quomodo commouit in cęlo perſonam diuinam. O admirabilem, & ſtupendā cōmotionem, & verſam vicem mortaliū. Ecce qui in initio mundi naſcentis hominem formauit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, in hac die omnipotens ipſe Deus ad imaginē, & ſimilitudinē noſtrā, imo potius idē ipſe homo, ſicuti nos

factus apparet. Equidem tam excelsa mutatio aliũde nequaquam prouenire potest, nisi ex dextera Dei excelsi, ex potenti, & miraculoso brachio, ad hoc vnũ præparato, & excitata potentia. Ad hoc propositum D. August. Sermone 5. de Natiuit. dicit. *In primis Deus de suis meliora contulit hominibus, in secundis de nostris inferiora suscepit. Tunc homo solicitante diabolo Deus esse voluit per superbiam, & nunc Deus homo factus est propter misericordiam. Adam ex terra virgine formatur tunc, nunc vero filius æterni Patris ex alma virgine nascitur. Nec mirum quod sine corruptione nascitur, qui opere Spiritu sancti concipitur. Non enim decebat (inquit adhuc) vt qui nobis afferebat salutem, & dolores nostros auferebat, virginalem dignitatem ipsi suæ matri prærriperet.* O dies dierum omnium nitidissima, dispendium cæcitatis, in qua æternus de summa altitudine patris descendens, vteri matris aditum nõ reserauit, & totius mũdi caliginẽ fulgida corruscatione repræsit. Quod quidem mater Ecclesia (vt aliquid de virginitate Mariæ conseruata passim dicamus, siquidẽ nos August. inuitauit) faustis vocibus lætabunda canens declarat. Sicut sidus radium profert, virgo filium pari forma, neq; sidus radio, neq; virgo filio fit corrupta. Apositissima certe similitudo. Sed longe breuius, & elegantius Propheta Regius hoc idem explicauit. Nam pro eo, quod septuaginta verterunt, ex vtero ante Luciferum genui te; verterunt D. Hieron. & alij. De vulua orietur tibi ros adolescentiæ. Quibus verbis interpres quidam castissimum Christi Domini conceptum, & ortum fœlicissimum ex virgine, tam concinne describi fatetur, vt nihil fieri potuerit elegantius. Quemadmodum enim terrenus vapor vi cælesti in sublime fertur, ibiq; sub auroram concretus cogitur in rorem, qui inde decidens terram vniuersam vberem, atq; lætam reddit, ita sanguis purissimus

Mariæ vi sancti spiritus vterum influens, sine vllo virili satu cōcreuit in corpus Domini nostri Iesu Christi, qui in lucem æditus, & susceptus totū genus humanum mirabiliter exhilarauit, atq; omni virtutum genere maxime færax, & fęcundum reddidit, manēs Verbum diuinum in cęlis sine mutatione cōmotum. In terra tamen humana natura commota fuit, & commutata, vt omnes Theologi resoluunt circa difficultatem de mutatione verbi superius allatam, respondentes: totam illam mutationem, circa sanctissimā, & inefabilem humanitatem fuisse exercitam: Fuit enim in ipsa suamet phisica entitate commota, & fuit etiam quia pæssimi, ac deprauati hominū mores cōmutati sunt in melius, & ipsi homines terreni, carnales, & inimici Dei, in cælestes, spirituales, in fratres, in filios, & cohæredes ipsius Dei mirabiliter fuere commutati. Non enim sine magno misterio. Gen. c. 1. Cōspiciens Deus almam præclaram, & candentē lucem, liquidum & insiliens mare mutis, & squamigeris piscibus refertum; cunctiparam, & rotundam terram, pubentium herbarum versilitate iucunda reuirentem, viridantium fætatum arborum færacitate prægnantem, & à ferocium animalium, ac formidabilium, & noxiorum serpentum multitudine habitatā: quamuis tunc nec timorem incutiebant, nec vtebantur veneno: Inspiciens etiam limpidum, & circunfusum aerem tot saltantium auicularum arguta garrulitate sonorum; Titanium, & rubicundum Phæbum, triformem, ac semiformem lunam; & omnia reliqua cum istis concreata; non inquam sine magno misterio aprobauit, vt bona, vidit Deus quod esset bonū, & vidit Deus quod esset bonum toties iteratum, hominem sine approbatione relinquens. Deerat enim illi (alijs explicationibus omissis) pręclarissimū istud

diuinitatis ornamentum, quo iam ab isto fœlicissimo die ineffabiliter exornatus mirandum in modum commutatur, ita vt bonus, ac valde bonus, appellari sine discrimine possit. Videns enim Deus (qui semper humiles exaltat) naturam humanam, adeo humilem, & abiectam, & in loco tam infimo iacentem, vt illi dæmones (ipso testante per Isaiam, 51. cap.) dixerint, *incuruare vt transeamus*, descendit ad illam, vt illam diuinitate sua sublimiter eleuaret. Humiles enim quærit Deus, & apud illos manet. Nam quando magnus, & terribilis erat, apparebat in montibus tanto fulgurum (vt diximus) & tonitruorum comitatu præpotens; nunc vero paruulus, quærens paruulos, in humili, & abiecta spelunca delitescens. Ipsum enim, vt pluuiam desideratissimam petieramus, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: Et ita velut pluuia descendens, licet

Isai. 45.

super excelsorum, ac sublimium montium elata cacumina difundatur, in imas tamen vsq; atq; profundas valles procliuiter dilabitur, quominus in illis amicissime requiescat. Venit etiam vt granum frumenti, quod quidem, vt vberem, ac multiplicem fructum færaciter emmittat, in imis debet sinuosarum vallium concauitatibus seri: *Valles etenim (quemadmodum Propheta Regius Psal. 64. testatur) abundabunt frumento*. Et ita in illarum secreto sinu molliter recumbens iucunda tranquillitate requiescit, fæcunditer fructificans, & pacata diuinæ dulcedinis mollitie delectatur, ipsomet illud afferente, & comprobante. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum*. Et

Prou.8.

licet infallibili scientia cognouisset (summam ipsius benignitatem admiremur stupefacti) in tam infimum locum deijciendum si tali societati consulens, manum nobis liberaliter porrigeret, illam ta-

C 4 men

men adhuc misericorditer porrigere nullatenus recusauit. Et quemadum æquissimæ staterae lancium altera, ponderis alicuius onerosi grauitate in profundum de missa, altera rapide fertur in sublime; ita natura diuina, & humana similiter in Bilanci constitutis; illa flagrantis infiniti amoris pondere descendente velociter in terram, ista in diuinarum cælorum artium celsitudine collocanda eadem velocitate fœliciter euehitur. Ecce mirandam cælorum, & terræ commotionem; Deus subruit, eleuatur homo. Si totius (obsecro) cuiusdam vicus integri conuicini, vniuersi, in alterum illinc transmigrarent: quæ deprecor commotio, quis fragor esset? Si igitur non vicus vnus, sed totum cælum, potentissimorum Regum potentissimus, Deus ipse, cælestium Hierarchiarum illum comitantium innumera multitudo transmigrant in terram; Si cuiuslibet omnium attributorum infinitum pondus reciproca commutatione, per communicationem idiomatum, in tam exigua ciuitatis Bethleem porticu mirabiliter inuertitur; Si manet homo Deus, & Deus manet factus homo; Si homo manet omnipotens, & Deus mortalis; Si Deus iste totam cælorum, & terræ capacitatem amplissimam adimplens; vt ipse testatur per Hier. cap. 33. præsenti die cælum, & terram, per talem transmigrationem, vnum in alterum transmittit, appositissime quidem Aggæus istius Domini personam agens in isto fœlicissimo die, dicit; *Ecce ego nunc commouebo cælum, & terram.* Modo videamus quomodo cõmouit habitatores cæli, & terræ. Prius commouit celsissimarum regionum incholas purissimos, Æcherearum sedium beatos possessores, Angelos scilicet, de quibus veluti confidentibus in Domino, videtur etiã loqui Psal. 124. Dicẽs Propheta Regius:

Qui

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion non commouebitur in æternum. Et qui, quemadmodũ asserit, Math. c. 18. *Seper vident in cælis faciem patris.* Qui in illa summa æternę beatitudinis fœlicitate gaudentes, egregiam, & candentem omnium bonorum posibiliũ conspicuitate venustam faciem patris, illos insatiabiliter beantem, assistunt, incessabiliter intueri. Illos in ista pacatissima fruitione commouit, & ab illa (si possibile esset) veluti inuitos violẽter auulsit. Vnum enim missit in agros rusticis, & pauperibus pastoribus iuxta Bethleem super hirsutos greges vigilãtibus, nunciũ istud lætissimum, & faustum celeriter nuntiare. Alium ad magnificos, & purpuratos Reges in Orientem, idem illis per micantem, & fulgidam stellã, in aerea regione nouiter creatam reuelare. Alterum (vt credibile est, & multi doctores pijssime sentiunt) ad gratas, & amicas Sanctorum Patriarcharum animas, in atris atq; funestis tenebrosi tartari penetralibus flagranti sedulitate firmiter spectantes; vt illas desiderata sibi, per tot anniorum curricula natiuitate consolaretur. Ac tandem ad angustam porticum, omnem nihilominus cælorum amplitudinem mirabiliter continentẽ, & ad pastores cum altero innumeram cæterorũ multitudinem, qui aerearum stridentium alarum celeritate præcipiti versus terram decurrentes, festiuum gaudium intrinsecus exiliens alacriter ostenderent, atq; concinnis, & canoris vocibus, auriculas consopitas repente expergefacerent, illas, & aera mellite modulari secum impellerent, & pastores languida pigritie soporis inertes excitarẽt. Sed quorsum, interrogabit aliquis, tanta gaudẽtium angelorum festiua iucunditas? Natus hodierna die Deus angelicã naturam assumpsit? vel saltim angelis natus est? Nõ ne hominibus ipsi nuntiauerũt dicentes *Natus est hodie*

vobis

vobis Saluator mundi? Quid igitur tam immodica lætitia gestiunt? Quid tan dulciter exultant? Potius enim videbantur posse dubitare, dicentes; Quomodo cātabimus in terra aliena? alienum commodum, & lætitiam celebrantes? O detestandam hominum segnitiem! O nostrum omnium nimis reprehensibilem cōfusionem! Nihilominus tamen Angelorum militia multis de causis hilaris, ac lætabunda canit. Nam angelorum muneris est: opera Domini mirabilia super exaltare, & lepidis, ac hymni sonis vocibus ipsum in æternum benedicere: testantibus Isai. c.6. *Clamabant alter, ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus.* Et Ioan.7. Apoc. *Benedictio, & claritas, & sapientia Deo nostro.* Præterea quia charitatis vinculis irretiti, & illius ardenti feruore flagrantes; Si super vno peccatore, secundum Luc.15.c. pœnitentiam agēte gaudent in cælis; Quomodo non sireneis cāticorum vocibus alacriter prosilirent? Super eum qui, vt omnes peccatores saluos faceret, & ad veræ pœnitentiæ seueritatem vindicem conuerteret; vt D. Aug. Serm 23. de Natiu. dicit. *Filius Dei cum esset de patre sine matre, factus est filius hominis de matre sine patre, magnus Deus angelorum, paruus in die hominum, verbum Dei ante tempora, verbum caro opportuno tempore, conditor solis conditus sub sole, effector cæli, & terræ, sub cælo exortus in terra.* Præterea tantopere lætabantur, quia reparator sedium vacuarum illorū futurus erat. Deinde, quia omnium illorum Hierarchiarum reginam, virginem simul, & matrem absq; vtriusq; dignitatis iactura, tot vndiq; splendoribus, & miraculis circum amictam aspiciebant. Quæ veluti pater æternus generans filium, & nihil integritatis infinitæ deperdens; Non solum etiam nihil ipsa deperdidit, sed si ipse ex infinita virtute generauit filium coæqualē patri, ipsa filium matre infinite meliorem mirabiliter Luc.2.

 gene-

generauit. Quibus omnibus, & alijs rationibus commoti conceptam animis de renato puero lætitiã ostẽdebant; Præcipue canentes, vt illum ad immane bellum contra huius sæculi principes, & potestates, dæmones scilicet, vt apud D. Paul. ad Eph. 6. sentit D. Tho. excitarẽt: Quemadmodum, vt Iacobus Fabrus Stapulensis refert cum Basilio, Thimotheus Milesius grata musicarum cantionum suauitate, Alexandrum ad exitiale quodam bellum crudeliter incẽdit. Canebant etiam, vt illum ex Deo terribili, & implacabili sæuissimarum vltionum in Deum mansuetum, & benignum misericordiarum commutarent. Quomodo Seneca testante impius, & sceleratus Nero musica dulcedine motus, vertebatur in mittem. Hoc enim intendebant antiqui fabulantes: Orphæum suauissimo, ac sonoro modulamine scabrosiores, & rigidiores lapides commouisse. Canebant etiã, vt illum nos acriter irata manu puniẽdos prosequẽtem mansuefacerent; sicut authore D. Isid. Episcopus quidam Anthiochenus, Imperatorem Theodosiũ aduersus Anthiochiam implacabiliter furẽtem excultis versibus a se cõpositis, & a quibusdã musicis illi dulciter concinatis mitigauit. Canebãt etiã, vt improborũ dæmonum nefariã multitudinem inciperẽt torquere, quos citharæ Dauidis delicata facũdia toties fugauit. Sed si militia cælestis in nostrũ orbem delapsa alacritate tanta cõmota lętatur: Quomodo lętari tenemur nos, qui cum diuitiarũ omnium opulentia, cũ bonorũ omnium pondere, cũ charismatum omniũ magnitudine natum nobis, & nobis datũ fœliciter intuemur. Sane lætari, & cõmoueri debemus, veluti pastores illi, qui statim illum festinantes quæsierunt. Et non sine magno misterio ad nostrum propositum angeli nuntiũ istud admirabile pastoribus humilibus attulere,

Deus enim cõmouebat cælum,& terram; Et diuites, ac optimates,si nuntiaretur illis,non statim mouerẽtur. Nam Dau. testante Psal. 78. *In labore hominum non sunt*: Et prius potentes equos nitentibus phaleris exornatos præpararent, multiplicem sequacium famulorum cohortem præuenirent; Necessariorum victui, & superfluorum etiam largiter, afluentem copiam fastidiose conquirerent; Ac tandem multarum (si forte possent) difficultatum perpesione defessi, veluti Reges, licet Sancti, tredecim dierum itinere fatigati peruenirent. Pastores autẽ humiles,& abiecti, a complicantibus horum omnium nimietatibus expediti, viam mandatorũ Domini,vt ipse per Psalmistam expostulat alacriter commoti cucurrere; eadem illa nocte nitidissimum puerum suppliciter adorantes. Et non solum ipsi commoti sunt, sed alijs cõpluribus anuntiantes, alios etiam plurimos commouerunt. Verumtamen non solum etiam isti pastores commoti festinarunt, sed totius terrarum orbis incholæ vniuersi nefario præpotentis Cæsaris ædicto turbati,atq; commoti describi festinabant. Alius miseram inanis ambitionis auiditatem audaciter accusans: Alius serena facie dissimulans, animi tamen impatientis improbitate solicita, eandem infestam, & vesanam iniquitatem reprehendens. Alius extremarum pernitierum calamitatem infœlicem miserabiliter spectans: Omnes tamen nefandam ædicti seueritatem timentes festinabant. Vt enim prædixerat Psalm. 64. Dauid. *Quando Deus visitauit terram, & inebriauit eam, tunc, vt dixerat paulo superius turbabuntur gentes, & timebunt.* Sed certe, si omnes (nemine dempto) exitiali seruilis istius obedientiæ asperitate intolerabiliter oppressi, a domorũ suarũ blandis,& genialibus delitijs minaciter auulsi cõmouentur, & timẽt:

 Om-

Omnes etiã (nemine dempto) in modica dulciũ gaudiorũ beatitudine perfusi cõmoueri debẽt, & lætari: Omnes enim hodie Deus, etiam nemine dempto, vt describãtur in matricula fidei misericorditer vocat.
Luc. 2. Et sic angeli prædixere, *Gaudium erit omni populo*. Omnium enim hodie populorum salutis amicissime recordatur. *Memor ero dicit Psal. 86 Raab & Babilonis scientium me, Ecce alienigenæ, & Tirus, & populus Ethiopum.* Ac si apertius diceret. Ego, qui non recordabar huc vsq; Egipti (si per Raab cum D Hier. & alijs melius intelligas Egiptum, alij enim meretricem volunt, sic appellatam, de qua fit mentio. Iosu. 2. quæ in Hiericho Israeliticos exploratores occultauit, & per funem de fenestra dimisit.) Ego inquam, qui non recordabar Ægipti, Babilonis, nec aliarum nationum barbararum, me protinus ignorãtium, iam quia me cognoscunt, illarũ deinceps memor ero. Quæ quidem omnes hodie exultatione perhilari cõmoueri tenebantur. Angelis igitur per lætitiam, vt vidimus, & legationes. Et hominibus per gaudium, & per ædicti descriptionem motis; *Commouit hodie Deus cælum, & terram:* Sed cõmouit prætetea cęlos ipsos, & ipsam terram. Cælos ipsos, quos Salomone testante, Prou. 3 *Sapientia sua firmiter stabiliuit*, ad descendendum inclinauit. Sed si curia Regis est, vbi Rex habitat, & Cęlum, vbi Deus, ad commotionem cœli verificandam sufficiebat, veri, & fulgidissimi cęli, Mariæ peregre proficiscentis dira commotio. *Dedit etiam Deus vocem suam, & mota est terra Psal.* 95 Dedit nobis, alijs explicationibus omissis verbum suum, per internam loqutionem generatum, & mota est terra. Terram enim horrisonis motibus concussam cõtremiscere, nihil aliud est, quam ab aere, in eius cauitatibus cauernosis diu recondito, in vastos, atq; terrificos hiatus aperiri:

Et

Et (vt aiebat Isa. c. 45.) terra quando Deus daret nobis verbum suum aperienda erat, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Ergo similiter etiam commouēda. In hac igitur fœlicissima die, in qua iam cœlum inclinatum, & aperta terra dederunt nobis promissum huiuscemodi Saluatorem, recte dicit: *Ecce ego nunc cōmouebo cælum, & terram*. Sed quid aliunde cælorum, & terræ commotiones distractus inuestigo? Homine solo commoto (vt probaui superius) omnes vndecim cæli, quatuor elementa, & omnes in illis contentæ naturæ cōmota fuerunt. Omnia enim in illo eminenter continētur, & cum omnibus illis, in eo, quod cuilibet illorum proprijssimum est ipse mirabiliter coincidit. Quemadmodum cælum eminentissimum Empireum sedes est sanctissimæ Triados, in qua tres personæ in vnica tantum immortali, & simplicissima essentia reperiuntur, similiter in homine vnica tantū est anima simplex, & immortalis, in qua tres potentiæ, voluntas scilicet, memoria, & intellectus repeṙiuntur. De qua multi grauissimi doctores intelligūt illud cap. 1. Gen. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Et sicut in illo maxima angelorum multitudo Deum circūstat, & aspicit; Eadem prorsus ratione in homine maxima desideriorum ad Deum conuolantium multitudo reperitur. Si primū mobile post se cæterorum omnium orbes suo cursu velocissimo rapit: Libertas in homine, secundum quam constituit illum Deus in manu consilij sui, primum est mobile, pro suo libito, cursus, & inclinationes illius eminentissime gubernans. Veritas immaculata, & limpidissima, de qua debet veluti Christus testimonium perhibere, docens ipsam, cælum cristallinum aquarum repræsentat. Octauum cælum tot micantium stellarum corruscatione variatum, est ho

 minis

minis ingenium tot ſplendentium ſcientiarum luminibus excellens. Saturnum ſeptimi cæli decus, & ornamentum adumbrat in illo villis atra, humor ſcilicet melancholicus. Iupiter, licet a ſexto cælo minacium fulminum ſeueritate terram cōcutiens, benignus tamen, & beneuolus, eſt in homine ſanguis, ſedes vitæ. Mars autem furibūdus, & impauidus quintum inhabitans, eſt flaua villis hominem impatientem, ac bellatorem reddens. Solem autem igneum, & ardentem, in quarto cęlo fixum, calor auidiſsimus, in ſtomacho reſidens naturaliter ſignificat. Mercurij tertium cœlum perluſtrantis vices gerit in homine flegma, ingenioſarum artium mirabiliter auctrix. Et à Diana, & Venere primum, & ſecundum exornantibus deſideria caſta, vel inhoneſta proueniūt. Ignis eſt halitus ipſius, Aera ſuſpiria, Aqua lachrimarum defluxus, & terra totus ipſe, de qua formatus eſt; Vegetat cum plantis, cum animalibus ſentit, ac tandem diſcurrit, velūt homo, & ratiocinatur. Homine igitur ſolo moto in hac fœliciſsima die, commouit Deus vniuerſos cælos, & vniuerſam terram. Sed alia valde præcipua (meo videri) ratio cōmotionis eſt, quia Deus veniebat, vt probabo ad inferendum bellum immane, & truculentum cælo, & terræ. Quando igitur in aliqua ciuitate magis horriſonus tumultus? Magis diſcors, & vaga commotio, quam tempore belli? Tunc videbis duplicatorum diu auxiliarium ſignorum per acra vagum duplicitates tremulas diſplicari: pendentium clipeorum rubiginem auferri; Veteres gladios, falces, & alia lingularum genera lucidari; ſtratagemata nunquam adhuc excogitata præueniri; Ad taratantaræ ſonitum boantem phalangium belligerarum cohortes numeroſas congregari; Ac tandem pueros imbelles, gelido metu

per-

perterritos, teneras puellas terrore stupefactas, annosos, & maturos senes fragilitate tremulos, & adolescentes robustos, & indomitos animis generosis dimicare cupientibus simul commoueri. Si igitur Christus nascebatur, vt regnum cælorum vim pateretur; quemadmodum cap. 11. asserit Matth. & vt violenti raperent illud? Si hodie bellum illi parat? Si milites strenuos ad illud fortiter expugnandum, ab hac die conuocat, & inuitat? Si nascebatur etiã, non vt pacem mitteret in terram, eodem Math. cap. 10. testante (non tamen hic angelis contradicente; non est in hoc nobis immorandum, nam distinctio istius pacis, ab illa omnibus notissima est.) Sed veniebat mittere gladium minacem, & acerbum; Si bellum hodie furiale, & intestinum appetitus inordinati passionibus crudeliter indicit? Quomodo non cælum, & terra maximo timore perterrita commoueantur. Et quoniam istius belli fœlicissimi fœlicissimus exitus in cælorum, & terræ gloriam redundabat, sicut exorientem Solem cantibus matutinis salutantes auiculæ garriunt, ita cælestes aues exoriente diuino Sole iustitiæ Christo Iesu gloriam in altissimis Deo, & etiam hominibus in terra suauissime decantant. Quando enim Verbum caro factum est, tunc Ioannes, cap. 1. dicit; *Vidimus gloriam eius.* Sed dubitabit aliquis, Quare dixerim Angelos hominibus etiam gloriam decantasse? Cum illi pacem dixerint; cum præterea trium, quæ sibi Dominus reseruabit, vnum sit gloria? Dominus reseruauit sibi vindictam, Romanorum. 10. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et 32. Deutheron. *Mea est vltio.* Reseruauit etiam iuditium, Psalm. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias indicabo.* Et Hieremiæ, 29. *Ego sum testis, & iudex.* Reseruauit etiam

gloriam

gloriam, Isai. 42. dicens. *Gloriam meam alteri non dabo.* Et ita sæpissime gloriæ Dominus appellatur. Quomodo ergo Angeli gloriam hominibus vsurpatam darent? Respondeo, gloriam esse Domini propriã, quasi vnigeniti a patre, secundum Ioan. c 1. Et prætera licet eadem hic, veluti filijs adoptiuis tacite hominibus promittatur, non tamen eam in tam rigu roso sensu hominibus ab angelis decantutam dixi. Sed quia, quemadmodum gloria est omnium bonorum aggregatio, ita etiam suo modo pax, est omniũ bonorum aggregatio; & ideo illam hominibus promissam gloriam appellaui. Pau. enim, Rom. 10. Isa allegans dicit. *Quam pulchri sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Demonstrans idem esse pacẽ euã gelizare solam, ac omnia simul bona in vnum mirabiliter aggregata. Quemadmodũ enim tempore belli nullum est bonum, nulla securitas, ita tempore pacis omnium bonorum desiderabilium copia redundat. Et quoniam multa de pace sæpe sæpius in hoc loco satis docte quidem elucidata sunt, de illa solum modo dicam puerum istum admirabilem, non solum pacem confirmasse inter Deum, & hominem reconcilians imma summis, & ponens manum in ambobus, vt desiderabat Iob; nec solum etiam inter homines, pacem suam illis relinquens, sed etiam ex abundãtia illius inter animalia indomita, bruta, & ex natura sua sibi inuicem ferociter aduersantia. Hoc enim fœlicissimo tempore dicit, Isa. c. 11. Lupi rapaces, & cruẽti minaci rabidorum dentium acriter dilaniantium auiditate despecta, cum agnis pauidis, & tenellis moliter habitabunt: Prædator pardus toruus, & frẽdens cum hædo tenero, ac petulanti suæ rapacitatis immemor amicissime ludet: Ac tãdem libycus leo sine iracundia, Vrsus informis, & armatus absq; sæuitia, Vi-

tulus

tulus imbecillis,& ouis saliens sine timore tuta, & innoxia tranquillitate cōcordes simul morabūtur. Sed quid animalia per aduētum principis pacis, in mitia cōmutata miror? Si Deū, angelos, homines, cęlum, & terram, vt explicaui cōmota, similiter, & cōmutata reperio? Et ne miretur aliquis, quod Deū etiā dixerim cōmutatum, ostendam quomodo conditionis efferæ terribiles effectus ab hac fęlicissima die in alios placidos, & sociales benignissime cōmutauit. De⁹ enim, qui à nemine audiri, nec inueniri poterat, vt psal 41. deplorabat Dau. *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Et qui Moisi familiarissimo sibi Exo.33. expostulanti, vt illi faciem ostenderet, respondit; *Non poteris videre faciem meam.* Et de quo conquærebatur Iob.c.23. dicens: *Si ad orientem iero non apparet, si ad occidentem non intelligam, si ad sinistram quid agam? si ad dexteram non videbo illum.* Ita enim abscōditus, & in accessus erat, vt aliqui ignorātes, & insensati dixerint, nō est Deus: Illū eundē hodie testātibus angelis, Luc.c.2. Omnes inuenire, atq; videre possumus: inuenietis eum; Deum etiā, qui adeo seuere, & aspere lquebatur, vt Hæbrei dixerint ad Moisem, Exo.20. *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur.* Hodie, vt etiā angeli reuelarūt inuenietis infantē, mutū, & elinguem, qui nōdum verba pronūtiare didicerat, teneras lachrimas vagitibus perblandis amātissime difundens. Deum etiā, qui manus habebat graues, & vltrices, verberib⁹, ac punitionibus assuefactas, cui dixerat etiā Iob 13. c. *Manum tuam longe fac a me:* Etiā hodie, idē angeli prædixere, inuenietis infantem pannis inuolutū, manus habētem pannis vilibus ligatas, & inuolutas. Deum etiā super soliū excelsum, & eleuatū olim apparētem, vt initio diximus ex Isai. Seraphinis, & angelis circūseptum; nunc etiā

eisdem angelis nuntiantibus, inuenietis infantē, pannis inuolutum, & positum in presepio. Verbum enim istud æternum, & mētale in intellectu patris ab æterno residens, quod nec videri, nec audiri poterat, factum est iam verbum scriptū quod audiri, atq; videri facillime potest. Dicitur Isa. c. 8. *Summe tibi librum grandem, & scribe in eo stillo hominis*; Et quod iubebatur scribi, vt ex contextu patet, fuit diuinū, & ineffabile incarnationis Sacramentum. Quod quidem scriptum fuit hominis stillo. Nam quemadmodum homines tribus digitis, & calamo scribere consuescunt, ita sacrosanctum istud misterium tribus Sanctissimæ Trinitatis personis, tanquā digitis, & Beatissimæ Mariæ lingua pronuntiante, fiat, tanquam calamo conscriptū fuit. In libro igitur illo prægrandi & excellenti, ventre scilicet purissimo mansit scriptum & caro factū verbum istud, quod & videri nouiter, & in eius doctrina, ac prædicatione potest audiri. Ecce Deum absq; imperfectione mirabiliter commutatum. Angeli etiam iniuriarū Dei vindices acerrimi, hominibus fere semper sæuissimam mortem minitantes, qui illorum sæpissime millia milliū crudeliter occidebāt; Hodie pacem illis faustissimā anuntiantes, cū illis familiariter colloquuntur. Et homines, qui semetipsos, & Deum ignorātes abibant post vestigia gregum brutorū animaliū, pascentes sensus iuxta tabernacula pastorum, delitias scilicet tēporales inquirentes; Hodie relictis gregibus, & tabernaculis Deū hominem factū inquirere, & cognoscere celeriter festinant. Cælum etiā, & terra, quæ propter hominū peccata 28. c. Deuter. maledicta erāt. hominibus rorē & fructū denegātia: *Sit cælum, quod supra te est æneum, & terra, quam calcas ferrea.* Iam ab isto fœlicissimo die benedicta, madens illud nobis abundantiū pluuiarum inundantem copiā largites

gites

giter emittet; Et hæc mollificata lactentium, & amœnorum fructuũ multitudinem vberrimã impertietur. *Hodie enim per cap. 2. Ose. dicit Deus. Exaudiã cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, vinũ, & oleum.* Et ne detur locus obiectioni, licet per prosopopeiã cælis, & terræ personã tribuere possimus; Vertit Batablus. Annuam cælis, & illi annuent terræ, &c. Appetitui cælorum veluti naturali, quo vehementer cupere, & quasi efflagitare videntur, vt illis largissimos imbres in terrã demittere cõcedatur, correspõdebo, quibus ipsi insaciabilitati terræ per hiatus ad illos clamitãtis respondebunt, & quorum tandem illa serpenti irriguitate fęcũdata, in nitidarum, ac fertilium fruguum læta germina turgenter erumpens feracissime ditata lætabitur. O Dei, Angelorum, Hominis, Cælorum, & terræ mirandam commotionem, simul & commutationem. Deus igitur iam mansuetus, angeli familiares, cœlum benignum, pastores festinantes, & terra fructifera, quodlibet illorum singulatim, & omnia simul corda nostra indurata commoueant. Et si quidem hodie vocem eius plorantis audimus (hac enim de causa plorat) humana saltim pietate tacti moueamur. Quis namq; puerum pulcherrimum, cælorum omnium pulchritudinem penetrabili frigorũ acerborum asperitate trementem, & feruidos mitiũ lachrimarum riuulos profundentem ob duro corde, vel siccis oculis intueatur? Equidem nostræ vtilitatis est commoueri ad istam cælorum, & terræ commotionem, quam prædixit Aggæus, ne forte ad illã, quã 1. & 2. c. Ioel prædicit, cælos mouendos esse, & terrã inuiti cogamur commoueri. Nũc enim si mouemur, & illum recipimus, dat nobis ipse potestatem filios eius amantissimos ineffabiliter fieri. Quomodo autem eius filij erimus, non est opus aliunde quærere,

 sed

sed in hoc ipso, c.c. Ioã. inferius i ndagare; vbi subdit. *Qui non ex sanguinibus nec ex voluntate carnis, nec ex volũtate viri sed ex Deo nati sunt.* Qui mortiferis mulcetium voluptatum cupiditatibus abdicatis ipsum imitantur. Quarti lib. Reg. c. 10. narratur: Regem Iehu pergentẽ in Samariam septuaginta filijs Achab. & quadraginta duobus Ochoziæ fratribus, interfectis, totaq; familia deleta, & omnibus Baal Sacerdotibus necatis inuenisse Ionadab, & interrogasse; an rectũ esset cor eius, cum corde ipsius? Cui respondenti, quod sic: manum porrexit, & eleuatũ in currum secum honorifice collocauit. Natus hodierna die noster amatissimus Iesus, ab æterno patre similiter sicut Iehu ad vitiorum mundum vniuersum deuastãtiũ internecionem missus; Si nos per lachrimas, per paupertatẽ & per vitiorum omnium internecionem inuenerit habentes corda recta, cum corde ipsius, nõ solum sicut socios, & amicos apud se constituet, sed filios etiam eius fieri libentissime permittet. Omnes ergo, si quidem omnibus aditus est patens, accedamus, nec nos angelorum astãtium multitudo deterreat, etiã enim ibi iumentorum societas inuenitur. Accedat iustus cum angelis, hodie enim illi, Dauide testante, lux est orta: Castus accedat cum virginibus Maria, & Iosepho: Diues cum Regibus: pauper cum pastoribus, & peccator, si quidem cum iumentis comparatus est, & similis factus est illis, cum illis proclibiter accedat, ploret, & moueatur, illius enim corde mirabiliter commoto, cõmouebitur Deus, vt condonet gratiam, quæ germinabit gloriam.

Quam mihi, & vobis misericorditer impertiatur.

(.?.)

Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est.

Ex prophetica lectione, secundum Isaiam. cap. 9.

CÆLICOLAM illum simulatum, charissimo filio peregre proficiscenti comitem sincerum, sibiq; caliginanti medicum insperatum, & diuinum, secum pro tunc vrbano sermone colloquentem, & ipsi dulce gaudium, beatamq; lætitiam exoptantem longæuus, ac maturus Thobias equidem prudētissime redarguit, cap. 5. dicens: *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Ac si diceret, sine radiatæ lucis claritate mirifica, & in nigrārium tenebrarum atra cæcitate nullatenus posse gaudiū, neq; bonum aliquod reperiri. Quod si ita est? Quibus quæso bonorū mirabilium incredibilibus diuitijs mūdus careret, quibusq; pernitierum, & calamitatum periculis subiaceret in tam obstrusa, & latebrosa figurarum ignorantiæ, atq; peccati nocte (tria enim hæc, nox importuna sunt) attenta mentis cōsideratione perpendamus. Quod, vt inuenerimus stupefacti, ex opposito pensare licebit, qua gaudiorum fœlicium festiua beatitudine perfundi teneamur ij, quibus hodierna die congratulatur Euāgelicus Propheta dicens, post tot horrentium, & falacium vmbrarum caliginem obscurā, lumen diuinum splendidissimum exortum. Lumen illud de lumine, Deum verum, de Deo vero, humanitatis nostræ nuuibus inuolutum, Ioan. cap. 1 decantatum. Nullis equidem lętitiæ signis hilaritatis debi-

tæ

tæ metam attingemus. Sed in tantæ lucis ex ortu repentino indigẽs nostrorum oculorũ acies hebetata cæcutit, & rutilam illius puritatem intueri protinus desperaret, nisi Prophetam Regiũ ducem assumeret Ps. 35. mirabiliter decantantem: *In lumine tuo Domine vidébimus lumen* Et nisi virginem etiam intemeratam aspiceret omnes cælicolas, & terrigenas sibi congratulaturos inuocãtem, eo, quod de suis visceribus Deũ, & hominem paruula genuerit. Quæ sicuti consurgẽs aurora Solis huius luminosi nascentis, gratiæ radiorum crinibus illustrata, aliquem illorum lætabunda nostrarum animarum intellectui liberaliter cõmunicabit, à nobis opportune rogata dicentibus Aue M.

Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est. Ex prophetica lectione loco, & cap. vbi supra.

EXIMIAM, & mirabilem Dei prouidentissimi sapientiam, in vlciscenda nefaria peccatorũ turpitudine, & in eorundem efrena prauitate curanda cõspicatus magnus, & egregius ille moralium librorum author Gregorius in quodam illorũ ait, de peccatoribus agens. *Ex rebus ipsis, ex quibus superbiunt flagellantur.* Quasi dicat, sic inexcogitabilis est, & inaccessa sapientia conditoris, vt in illis ipsis, in quibus homines superbire cõtendunt deijciãtur. Quod quamuis aperte satis ex plurimis sacræ paginę locis perspicuũ possem demonstrare, sufficiat audiuisse Dauid. ps. 72. dicentẽ. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Qui, vt mirabiliter notat Aug. 14. de ciuit. c 13. Mentem meã, adeo declarat, vt non solum in eisdem, quibus homines væsane præsumũt eleuari cõfundẽdos, sed in eadẽ ellatione violẽta detrusos in baratrum miserabiliter affirmet. Non enim ait, deiecisti eos, postquã eleuati sunt, sed

dum alleuarentur. Et itidem vidisse sufficiat, in ipsomet mundi nascentis exordio primæuum illum nostrorum omniū parētem incautū, ipsamet inordinata sciendi cupiditate, qua peruigil inimicus insidias illi calliditer tetendit asserens, eritis sicut Dij, in profundas, & inextricabiles ignorãtiæ tenebras detrusum. In quibus statim tanta mētis oculorum lippitudine laborauit, vt etiam caligare potuisse Dominum cogitauerit. Et sic arboris illius infaustæ feraciū ramorum vmbram appetiuit, velut si vmbram sibi præstare sufficerent in conspectu Domini, de cuius oculis Ecclesiast. c. 23. dicit, *Lucidiores esse super solem & circunspicientes omnes vias hominum, & profunda abyssi.* Sed si circa rerum naturalium cognitionem intellectus acies taliter mansit obcæcata, vt Philosophus dicat. Sicut se habet oculus noctuę ad lumen solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturæ: quid de sacrarū rerū supernaturaliū cognitione poterimus affirmare? Ex tunc homo aliquãtulum in se reuersus Deum inquirens, tam petulãti, & lubrica demētia vacillabat, vt torpens huc, & illuc in vnū, & alterū præcipitium quotidie laberetur. Vnde quidã modernus de homine sic vacillãte acutissime declarat illud ps. 81 *Nescierunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Quemadmodū enim, ait, pueri ludentes quendam illorum ligatis oculis persequūtur, clamitant, & ad illius aures palmas percutiunt. Quos ad murmur insequens ipse cadit. Sic inquit homines in ignorantiæ tenebris cæcutientes, Deū inquirebant, & ad omnium creaturarum Deum manifestissime vociferantium murmur accurentes, ab illis deludebantur irrisi. Cum enim cælos audirent enarrantes gloriam Dei, illuc aspicientes; Alij rutilam Apollinis coruscãtis pulchritudinem, alij candidã noctiuagæ *Psal. 18.*

Lunæ

Lunæ venustatē, alij roseum aliorū siderū radiātium mirificum lumen, Deum existimantes adorabant, & decipiebantur. Et eousq; peruenit intollerabilis cæcitas, & misera, vt aliqui manuum suarum operibus
Psa. 105. turpiter genuflexerint. *Fecerunt vitulū in Horeb, & adorauerunt sculptile.* Ecce homines incautos in ignorātiæ miserrima nocte constitutos. Sed adhuc restat alias magis occiduas, & læthæas tenebras explicare, in quibus homines sedebant, & in quas idem incurrit homo eodemmet apperitu sciendi, quamuis non, vt appetitus erat sciendi, sed quatenus peccatum fuit. Nam si animas ignorantia tristi caligine fædat, peccatum equidem easdem deformiori, & squalidiori, obscuritatis nigredine deturpat. Nam præterquam quod ignorantia (quæ obscuritas est, vt diximus) includitur in peccato, ita vt appelletur illius causa, non solū quoad entitatem materialē, vt aiunt Theologi, sed etiam quoad formalem, secundum plures cū D. Tho. 1. 2. q. 76. Peccatum ipsum est obscuritas, & caligo. Attendite probabo. Peccatum habet necessario inclusam in se priuationem rectitudinis cum lege diuina (licet non sit de illius essentia, neq; secūdum rationem conuersionis ad obiectum, neq; secundum rationem auersionis a deo.) Sed lex secundum Prophetam Regiu Psal 118. lux est. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Verba tua Domine mirabilia, præcepta tuæ legis lucidissima in itineribus vitæ nebulosis, & falacibus mentem meam mirabiliter illuminant; Ergo si peccatum includit necessario priuationem rectitudinis cum ista lege, cum ista luce præclara, & salutifera, includit necessario cum luce repugnantiam; necessario remanet factum caligo miseranda, cæcitas, & obscuritas. Vnde Sophon. cap. 1. de peccatoribus inquit: *Ambulabunt vt cæci, quia Domi-*

no

no peccauerunt. Ecce homines infaustos iterum in tenebris, & in duplici nocte peccati, scilicet, & ignorantiæ constitutos. O nimiam, & terribilem pœnalium tenebrarum crassitudinem! Sed ærumnosum, & lubricum humani generis statum, adhuc alia deformium vmbrarum teterrima densitas infestabat. Nam Mosayca lex in figuris, & vmbris tota consistebat. Vt Paul. Hæbr. 10. dicit. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum.* Et sic (non indigebat istud probatione) agnus ille inter vepres cornibus hærens, quem vidit Abraham Gen. 22. Vmbra fuit innocetissimi agni Christi Iesu, quem pater omnipotens vinctum, & ligatum pro peccatoribus immolandum tradidit: Sic etiam Iacob hædinis pellibus vestitus, & simulatus, secundum Augustin. lib. contra mendacium cap. 10. eundem Christum figurabat, qui nostra carne vestitus, & simulatus aliena peccata benignissime portauit. Sic etiam omnia, quæ temporibus illis contigere (secundum omnes doctores) eiusdem Christi vestitus, doctrinæ, mortis, & resurrectionis vmbra fuerunt. Et ita Zachariæ locus cap. 1 in quo vidisse dicit, virum ascendentem super equum rufum inter myrteta, vertitur alias, vt placet Theodoreto inter duos montes vmbrosos, per quos ipse cum omnibus alijs labilium legis vmbrarum obscuritas arcana, & importuna nox repræsentari sine discrimine demonstrat. Quod quidem clarius, nobis, & apertius insinuant ipsi, quos illa gelida nox, & iners ocupabat. Rex enim ille Propheta tam brumalis, & occultæ nebulæ longa duratione defessus, psal. 42. rogat enixe, dominum alloquens: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quam etiam expectans, & desiderans alias noster Isai. cap. 21. vocibus resonantibus, & querulis vociferatur, cælestem speculatorem interrogans:

Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Ad quam horam noctis istius profundæ, ac procellosæ peruenimus? quando finietur illius fusca nigredo? Numquid illa tandiu desiderata lux exoritura quiescit? vel exoriri properat? Sed proh dolor! Custos ille velut dormitans ad tam acutarum vocum garrulitatem argutā desidiose tacebat, Et illum expergefaciens Dauid, psal. 43. conqueritur dicens, *Exurge Domine quare obdormis, exurge & ne repellas in finem.* Quomodo compatitur,

Iob. 7. o custos hominum cum tuis misericordissimis visceribus, quorum ego miti, atq; diuina humanitate fidens, omnibus hominibus, ps. 120. prædixeram alacriter: *Non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel.* Quomodo inquam compatitur cum illis tam morosa cunctatio? Ne me clementissime conditor, illos, quibus de tua mirifica, & indefessa vigilantia persualeram, tāquam ab illa delusum increpari permittas. Sed animum anxietate timida turbulentum, o rex magnanime seda, placida, atq; tranquilla securitate quiesce. Excuba diligenter, & illum eundem Isaiam tecum conclamitantem, & istam eandem rutilam, & ætheream lucem exposcentem, audies, qui iam hominibus, in triplici (vt explicauimus) caliginosa nocte degentibus congratulatur, & exortam fœliciter prænunciat, verbis festiua dulcedine plenis, & amicis hilariter affirmans: *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Lux illa inextinguibilis, de inextinguibili

1. ad Thimot. 6. lumine, quæ lucem habitat inaccessibilem, quæ est candor lucis, & imago bonitatis illius, lux matuti-

Sap. 7. na, in qua tenebræ non sunt vllæ, cum qua tenebras

Isai. 8. societatem habere repugnat, a patre luminum orta

1 Ioan. 1. ab æterno, semper oriens pro nunc, & in æternum

2. Cor. 6. oritura, hodie nobis indignis iterum exoritur.

Iacob 1. Quemadmodum enim quando Deus omnipotens

pul;

pulcherrimam istam vniuersi machinam informem, massam adhuc confusam, & inutilem præ manibus habebat, ipsam multiformem, distinctam, vtilem, & omnibus gratissimam redere cupiens, incæpit dicēs verbum istud, fiat lux; Et facta est lux atris, & nebulosis fumantium (vt ita dicam) vaporum tenuitatibus dispersis, illustrem cælorum volubilium celsitudinem irradians, silentium pro tunc, & inanium elementorum densitatem spissam, & exanimem purificans, & rerum omnium ex illa cruda, atq; latenti multiparæ grauiditatis congerie iam fere pullulantium formationem mirabilem conspicuam redens. Similiter etiam in ipsamet æternitatis æterna (si sic licet) inceptione, nunquam incepta, seipsum idem omnipotens pater, suam simplicissimam essentiam improductam, omnes tres personas, & omnium creaturarum confusam multitudinem valde distinctam præ oculis diuinæ cognitionis habens (per cognitionem enim horum omnium secundum Diuum Thomam, Bonamuēturam, Augustinum, & alios procedit verbum) tunc inquam similiter primum istud verbum loquutus est, de quo Dauid Psal. 61. dicit: *Semel loquutus est Deus.* Et sicut primum illud verbum ad extra in temporali creatione, fuit lux, sic etiam primum istud verbum ad intra in æterna generatione, fuit lux; Ioan. cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed est maxima inter Doctores sacros ambiguitas, quæ lux fuerit illa, quam Deum in initio diximus fecisse: Nam omnis lux, ab omnibus æthereis orbibus coruscans siue purpurei Solis, siue argentatæ Lunæ, siue aliorum siderum rutilātium, ab ipsomet Sole quarto die facto, largiter omnibus mutuata refulget. Qualis igitur erat illa primo die facta lux? Doctissimus noster Abulen. *Genes. 1.* *Genes. 1.*

 elucidat

elucidat istam difficultatem disertissime dcens: istā lucem fecisse Deum, ex quadam tenuissima nuuecula candida, & nitenti, quæ densissimas tenebras paulatim dissipatas cæpit effugare, quoad vsq; die quarto solem istum nitidissimum, & præclarum, ex ipsamet illa luce, atq; nuuecula idem omnipotens perfecit. Eadem prorsus ratione mundum spiritualem in tam cæca turpium tenebrarum (vt diximus) opacitate latentem benigne recreare cupiens Deus idem, ante omnia fecit paruam, decoram, & præclarissimam nuueculam, quam 3 Reg. 18. cap. quasi vestigiū hominis viderat Eliæ puer in Carmelo, virginem scilicet intemeratam hodie parturientem, quæ stigiam peccatorum caliginem paulatim cæpit dissipare, quoad vsq; ex illamet lucidissima nuuecula Maria flagrantissimum istum Solem iustitiæ, hodie nouiter exoriētem mirabiliter formauit. Solem istum, qui totus est lux, quoniam est Deus. Liber enim ille de causis Alfarabij, Procli, vel Abizenæ putatus Deum aliqualiter definiens ait: Deus est lumen purum. Sicuti quidlibet nimio sale conditum exagerantes appellamus purum sal: Et sicuti materiam primam appellauit Ar. in phisic. puram potentiam, quoniam nullum habet actum in se. Sic Deus est lumen purum, quoniam in se aliquid noctis, caliginis, tenebrarum, nuuis, aut vmbræ, aut aliquid, quod non sit lux continere repugnat. Et quemadmodum lumē habet splendorem, ex quo si alicubi repercutiendo sistit, resultat calor; A patre similiter æterno, qui lumen est secundum Iacobum procedit filius, qui est splendor, secundum Paul. Hæbr. 1. *splendor patris, & figura substantiæ eius*: Et ex repercussione, & reflexione amoris resultat calor, qui est Spiritus Sāctus. Videte quomodo totus Deus, quomodo tota Trinitas sit

lux,

lux, & præcipue filius, qui nomen istud sibi peculia-riter arrogat Ioan. c. 8. dicens: *Ego sum lux mundi.* Quam hodie noster Isai. nobis, & mundo fœliciter exortam annuntiat. *Habitātibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* O fœlicem, & splendidissimam noctem, vel potius diem fulgidissimum, vt angelorum verbis pruden-tibus vtar, qui non dixerunt pastoribus in ista nocte, sed hodie natus est vobis Saluator mūdi, Luc. cap. 2. vt illo exorto lucem istam nitentissimi solis salutife-ram exortam demonstrarent. O inquam fœlicissimū diem à cælis, à terra, à prophetis, ab omnibus homi-nibus, ab angelis, & ab ipso Deo per tot tarditer trā-seuntium annorum curricula desideratissimum, in quo dulcibus inenarrabilium gaudiorum iubilis om nes collætari, nemine dēptō tenebamur. Quis enim exoriente luce desinit exhilarari? Arborum viridan tium proceritas sublimis, mira quadam, & amabili venustate noua pēdens arridet; nutantium foliorum tenera mouilitate tremulos semiclaros, & obscuros reflexus graciliter eformans, & feracitatis frugiferæ fructus vberes, & prædulces, nobis abundantissime porrigens. Vlmus frondosa vitibus hospita, flexibi-libus illarum amplexibus implicata, & furtiuorum fructuum per ipsam audaciter serpientium amæna fæcunditate decorari non inaniter præsumens, pro-priam sterilitatem, & fertilitatem alienā peruenusta quadam ignominia demonstrat. Herbæ pratenses in credibili mæstitia suis defloratæ decoribus, compli-cata foliola distendunt, & bellula viriditate elegan-ter explicatæ lasciuiunt. Micantes, & odorati flores, latentes, & occulti fragranter aperiuntur, & oculos illos aspicientium versicolore pulchritudine hilaran tes purius quam antea, atq; perfectius halant. Colo-rantium, & albentium rosarum rutilæ facies, & odo-

ræ, præ tenebris ab aliis inutilibus herbis indistinctæ, gratitudine mira distinguuntur, dulciter olent, & auroræ rubẽtis perlucido rore lucidatæ illustriores apparent. Auiculæ consopitæ, expergefactæ cõtractarum alarum placida agitatione saltitant, ac lepidis, & argutis dulci sonantium canticorũ vocibus garrientes audientium aures, & animos demulcent. Hædus petulans, & tenellus per montium intonsorũ asperrima cacumina, & per illorum alicubi fatiscentium rimosas cauitates inter aprica frutera matrem impetens alacriter persequitur. Agnus petulcus, & imbellis in pratorũ ridẽtium latitudinibus florentibus secum ipse molliter ludens refugit, & saltat. Ribulorum properantium flexibiles defluxus, iam per supinorum nemorum hiatus, decliuiter labẽtes, iam per irriguas, & gramineas cãporum planities tortuositatibus obliquis inflexe decurrentes, iam deniq; per vndarũ vallium sinuositates imas iterum fugaciter agitati, oculos intuentium cristallinis vndarum reflexibus execæcant. Robustus, & sedulus arator pigritãtium boum patientem tarditem vigilanter excutit. Auceps, & venator properãtes, ille incautarũ auium multitudinem, & iste ferarum horribilium ferocitatem indomitam fraudulenter insequuntur. Peruigil, & solicitus viator lassantem, & molestam viam celeriter prosequitur. Miser, & insomnis ægrotus per languidam totius noctis profunditatem acutissimis cruciatum doloribus fatigatus, salutem, & subleuationem desperans, suauiter alleuiatur, & quiescit. Ac tandem omnium creaturarum cætus exoriente alma Phæbeia luce, & mundum irradiante dulciter collætatur. Igitur attendite precor; hæc omnia, illorum nec vno dempto similiter exoriente ista diuinissima luce mirabilius accidisse probabo. Arbores

res eminentes, & proceræ, proceres scilicet. & purpurei Reges fructus vberrimos, vberrima, & præciosissima munera isti præmicanti luci liberaliter obtulere. *Obtulerunt illi munera aurum thus, & mirrham. Math cap. 2.* Vlmus in fructifera vicinis vuarum racemis feracitatem repræsentans, erant hypocritæ legis doctores, & scribæ arbores autumnales infructuosæ. Vt asserit in sua canonica Iudas Apostolus; virtutem repræsentantes secundum Isidorum, & Augustinum, qui opulentam virtutum fructuosarum multitudinem fallaciter ostendentes, ad istius purissimæ lucis radios confusione, & verecundia perfusi, ignominiose satis euanuerunt. *Quid me tentatis hypocritæ. Math. 22.* Humiliores herbæ humiles erant, & abiecti, absconditi præ timore, atq; tacentes, qui ad lucis istius rutilam claritatem ore timido vsq; tunc audaciter aperto Deum benedicebant; velut humilis illa, & timida muliercula, quæ Luc. cap. 11. inter Pharisæorum præualescentes phalanges Christum benedicebat dicens: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Versicolores, & hyblæ rosæ, sanctorum euangelicæ legis erit multitudo, quorũ quilibet ad istam cãdidam lucem suo colore cõdecoratus apparuit. Ad illius enim claritatem purpuratorum martirum rubens exercitus, virginum candidarũ purissima cohors, atq; pallentium cõfessorum innumerabilis numerus pullularũt. Loquacium auicularum chorus argutus, præter angelorũ multitudinem cantãtium gloriã in excelsis Deo, & in terris hominibus pacem isto mane, sunt prędicatores, qui lucem istam salutantes animarum aures demulcent, atq; animas ipsas, & corda suspendunt. Innocens agnus, & hædus lactens, fuit lactentium paruulorum innocens copia, qui lucis istius coruscatione perfusi ad por- *Luc. 2.*

ticum

Mat. 2. ticum gloriæ crudeliter occisi saltitarunt. Liquentium ribulorum desursum resonantem, contritorum pænitentium vitrea lachrimarum flumina lucis istius splendoribus e pectoribus niueis liquefacta, cælum ipsum inundantia repræsentant. Rusticum, & somnolentum agricolam, hominem scilicet in nocte peccatorum consopitum, nihil ad vitam æternam fructuosum operantem, iam expergiscentem mane, homo, qui luce ista diem clarissimum aperiente in do-

Mat. 20 mini vinea incepit laborare significat. Iustus ex ista fœlicissima luce dæmonem sæuientem, feram horribilem atrociter dominus venatorem insinuat. Idem in cælum abiens, vt viator (omnes enim viatores sumus) lucem istam exoptauit, vt dirigeret pedes eius

Luc. 1. in viam pacis. Ægrotus deniq; totum genus humanum erat, in illa triplici densissima nocte salutem desperans, & atrocissimam mortem imminentem aspiciens, quod in isto fortunatissimo mane conualuit, salutem gratiæ, per lucem adipiscens. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Apparuit lampas illa fulgidissima, quam vidit Zacha. cap. 4. Super candelabrum aureum, & in medio duarum oliuarum, quam licet Lyranus de templo, quod tunc ædificabatur interpretetur; Hieron. tamen longa diuersarum opinionum elucidatione fatigatus (vt ipse fatetur) omnes antiquos Hæbreos & veteres ecclesiæ magistros Christum significare tradidisse demonstrat. Ita etiam Ziril. Anastha. & Nicenus, q. 53. earum, quas in sacrá scripturam edidit. Et licet per illas duas oliuas, quas duos filios olei inferius angelus appellauit, & quas easdem esse cum illis, quas Ioan. Apoc. 11. vidit asserunt Victorinus in Apoc. & Greg. hom. 12. in Ezech. quãuis inquam per illas isti doctores, Arethas quoq; Thomas, & alij recte quidem historico sensu Eliam,

& Enoch

& Enoch intelligant: quia quandiu Christus futurus est in ecclesia, quæ per candelabrum intelligitur, illam illuminans, vt lampas, isti duo Prophetæ mansuri sunt in vita mortali semper illũ pro hominibus exorantes. Nihilominus tamen Tichonius, & Beda allegorico sensu, vt ex Haimone constat in eundem locum, per illas duas oliuas, duo testamenta declarãt. Et quidam ex recentioribus omnes gentes sub illis contentas, populum scilicet Hæbreum, & Gentilicũ, & cæteras omnes nationes allatas ante Deum, in virtute illius appositissime significare fatetur. Quam quidem virtutem præpotentem, & egregiam omnes nationes ad se fortiter, & suauiter allicientem in eodem cap. Dominus ipse, non in exercitu, neq; in robore constitisse asserit, sed in spiritu eius; Quis erit quæso spiritus iste? Mira quædam, & inaudita Domini spiritus adinuentio, ad alliciendos homines ad se, Dominus ipse, qui semper ab æterno lux erat, vt probaui, inextinguibilis, & fulgida, factus est de nouo super ecclesiæ candelabrum lampas ignifera, & præclara, quæ lucis suæ radios in vniuersum mittẽs, ad se ipsum vniuersum mirabiliter traxit. Ista nunquam offusa, nec vllis vnquam tenebrarum caliginibus offundenda luce præpotens Dominus in vniuerso dominatus est. Quis enim in ista fœlicissima nocte Iudæos velut oliuam oleo misericordiæ plenam compulit venire, vt inclyto nostro puero, nobis recenter nato, alius tenerum hædũ & lactentem, alius molle butirum, & suaue, alius ouilis lactis mulctrariũ scatens, & albescens liberaliter offerrent, & procliues adorarent? Nisi lux illa mirabilis, & pura, quæ noctem conuertit in diem, & mentis oculos tot tenebrarum squaloribus excæcatos mirandum in modum illuminauit. Quis etiam Reges idolatras, velut

aliam oliuam oleo similiter misericordiæ redundantem venire coegit, vt eũdem diuinissimum puerum adorarent, & illi ditissima munera largiter offerrẽt? nisi lux eadem illa, in illa nouo mirabili sidere refulgens, & interius animas illustrans? Quæ omnes penetrabiles luces, ab ista splendescenti lampade dimanabant. Isaiæ caput sexagesimum omnes attente perlegisse maximopere gauderẽ, vbi inuenire/etis vẽturos ad ipsum omnes de Sabba, dromedarios Madian, & Epha, omnes pecudes Cedar, arietes Nabaioth, ac deniq; gentes omnes omnium possibilium preciosissimorum munerum copiam afferentes, & ipsum adorantes. Proh Deum præpotentem tenerrime puer, quot armatarum phalãgium cohortibus, quibus ferialium, ac superborum militum numeris inuisis, qua crepitantium armorum ferocitate cruenta, tot, ac tantarum gentium copiosam multitudinem debellabis? Audite quæso eundem Isaiam, in hoc eodem cap. respondentem. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* O lucis inaudita potentia: Sola sua luce, charissimi fratres, lampas ista nitentissima Christus mundum vniuersum deuicit, ac superauit: tenebras omnes peccati, & ignorantiæ depellens, & vmbras legis satis molestissimas fugans. Dicit August. in ep 49. q. 6. Ionam dolentem de Niniuitarum salute tipum esse carnalis Israel, cum tristis erat de salute gentium. Vbi Doctores addunt vmbraculum hæderæ super caput Ionæ, vmbras esse, promissiones, & ceremonias veteris testamenti, vel bona ipsa temporibus illis hominibus collata, quæ omnia vmbra fuere futurorum, quibus homines, velut vmbris sese ab illius temporis aduersitatibus protegebant. Addunt præterea satis ingeniose vermem illum matutinum, vt est apud sep-

tuaginta,

tuaginta, in Hæbreo, & in nostra translatione, quem dominus parauit ascensu diluculi Christum esse, qui in illo ps.28. qui inscribitur, pro susceptione matutina, dicit: *Ego sum vermis, & non homo.* Vermis fortasse propter Virginis intactæ, ac purissimæ partum, nam animal istud fere semper de carne, vel de quacumq; re terrena sine concubitu nascitur. Dicunt ergo vermem illum, qui hæderam corrosit, & exiccauit esse Christum, cuius ortu matutino omnes illæ figurarũ vmbræ euacuatæ marcuerunt. Ego autem tantorum doctorũ salua doctrina ad meum propositũ vlterius addo, nõ solum Christum, velut vermem vmbraculũ hæderæ corrosisse, sed vt solem etiam ardentissimũ, & igneum omnium figurarum hæderam exicasse, & vmbras depulisse, cuius nitentissima luce omnes illæ fugatæ euanuerunt. Cessauerunt preterea cũ vmbris illis mille execrabilium flagitiorũ genera, quæ in illa teterrima nocte perpetrabãtur. *Posuisti tenebras, & facta est nox, canit Dauid ps.103. in ipsa pertransibũt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærãt adeo æscam sibi; ortus est sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Ac si diceret, vt incognitus intelligit in sensu spirituali. Per peccatũ illud semper deplorandũ primorũ parentũ posuit Dominus super gẽtes ignorãtię tenebras profundas, & peccati noctem miserandã; in cuius obscuritate læthea mundi principes, & tirani, quasi leones crudelissimi in homines sæuiebãt more ferarum sanguinem humanum atrociter fundentes, & quilibet illorum, in alterũ scelératissima rabie ferociter superbiens. At ista luce exoptatissimum diẽ aperiente, peccati, & ignorantiæ tenebras fugante immanium illa, atq; frementium ferarum multitudo dispersa fuit, & effugata; quælibet illarum trucitatem brutam mansuefaciens, & in reconditis ca-

uernis, & abstrusis delitescens. Quod quidē in leone manifestissime patet. Illum enim affirmat Pierius lib. 1. aspicientem lucem formidare. Sic igitur infestissimus dæmon, qui Petro testante ep. 1. can. cap. 5. quasi leo rugiens in illa obscurissima nocte mūdum circuibat, quærēs, quos deuoraret, post istam lucem exortam, ad ipsam Matth. cap. 8 clamabat edomatus dicens: *Vt quid, venisti ante tempus torquere nos.* Ortus est Sol, & in cubilibus suis collocabūtur. Vbi operæ precium erit considerare, lucis istius mirabilem virtutem, & efficaciam, si quidem non solum tot hilaritatis (vt diximus) & lætitiæ commoda nobis positiue contulit, sed nos etiam ab infinitis calamitatibus, & periculis imminentibus in illa nocte mirabiliter liberauit. Attenta rogo cogitatione considera quisquis es, si tibi in medio itineris, nunquam à te peragrati nigerrima nox eueniret præpetibus stridentium ventorum flatibus horrisona, turbinum nimbosorum properata rapiditate procellosa, tonitruorum horribilium raucisona terribilitate reboans, subitorū fulgurum tremula claritate coruscās, & fulminum iaculabilium ineuitabili crudelitatē minax? Quo te verteres miserabilis homo? Nam si côtenderes vlterius progredi in lutorum impertransibilium paludes putres, & obscænas faciliter demergereris, si facilem, & meliorem viam eligere perspicaciter intenderes, nihil nisi tenebrarum crassissimam, & fere palpabilem densitatem intuereris, nisi iam forte videres alicujus ignifei fulguris fulgorem inopinum; quo tu potius pauidus, & timoratus, & oculorum acies hebetata quam illa illuminata, ipseq; lætus, atq; iucundus redderemini. Si vocē alicuius spectares, ad cuius domum, vel tuguriolum confugere posses solum audires, vel alicuius improbi lupi rabidum vlulatum,

vel congregatarum aquarum sese, ex aliquorũ montium cacuminibus inaccessis, persilicum præruptorum & prominẽtium scopulorum asperos anfractus in cauitatem aliquam profundam præcipitantiũ concitum decursum, inter quorum omnium anxiam, & ancipitem solicitudinem frigore, terrore, atq; suspẽsione dubius, si pedem moueres hinc tibi rubus horrens palium mordaciter arriperet, illinc suberis ramus pendens galerum deijceret, quo tãdem miserabiliter errans nihil tibi, nisi protinus desperare, sperare posse videreris. Si tunc per aliquam angustam semitam heremitam è gurgustio, vel quemlibet aliũ egredientem, & ad te cum lucerna properantem aspiceres, qui te duceret in ædiculam, ibiq; solaretur amice, & calefaceret, quousq; transacta nocte rectũ iter tibi familiariter ostenderet? Quibus quæso diuitum bonorum, licet amplissimis, & incessabilibus muneribus homini tali debitam gratitudinẽ persolueres? Nullis equidem. In eadem igitur, vel potius in infinitum maiori necessitate, ac perniciosiori periculo positus erat homo miserabilis in illa mæstissima nocte, ante Christi Domini aduentũ, ante huius lætissimæ lucis sacrum, & miraculosum ortum. Audi nostrum Isaiam, cap. 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ, palpabimus sicut cæci parietem, & quasi absq; oculis attrectauimus, & impegimus meridie*. Audi similiter Sapiẽtem cap. 17. de Ægiptijs, & sub illorum figura de illis, qui in ista procellosa nocte iacebant, fulgurum, & tonitruorum periculis infesta aperte satis affirmantem. *Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus*. Lux aliqualis interioris motionis, aliquod conscientiæ fulgur apparens subito, terrens aliquantulum, & citissime transiens. Ibi erat turpium, & infandorum criminum turbo procellosus, appetituum inordinatorũ

 sen-

sensualium procliuitate præcipiti tendētium cursus inundans. Ibi erat ambitionis, superbiæ, & inanis gloriæ sibilantium ventorum stridens flatus, & horrisonus: Ibi similiter immanium vitiorum, more ferarum horribilium minaciter sæuientium turba timenda, vt in eodem cap. testatur Sapiens. *Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus: aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo deficiētes faciebat illos præ timore.* Huc vsq; Sapiēs. Igitur in medio timidæ huius, & procellosæ noctis, descendit ab arce patris, non ab ædicula paruula, & paupercula, per angustissimam, & augustissimam, à nemine perambulatam integerrimæ virginis semitā benignissimus homo Christus Dominus fulgidissimam diuinitatis lucem, in lucerna humanitatis inclusam portans in manibus illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, hominem viatorem (vt diximus) deuium à cælis, perditum, & errantem in rectam illorum viam familiarissime reducere; *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Ecce famosam illam columnam filiorum Israel, illos in nocte clare illuminantem, & eosdē in die mirabiliter obumbrantem. In nocte peccatorum, ignorantiæ, & figurarum cælos, pastores, Reges, & omnes homines illuminantem, & in isto clarissimo die per nubem humanitatis oculos hominum, ne præ nimia luce diuinitatis excæcarentur obumbrantem. Ecce lucem aliquantulum obscuratam, obscuritatem lucidissimā, Deum hominem, & hominem Deum, lucem ab æterno, & exoriētem hodie, Verbum Dei apud Deum ex æternitate, & infantem vnius diei. Ecce Virginem parturientem, filiam parturientem patrem suum, & pa-

Iob. 36. in manibus abscōdit lucē.

trem

trem exorientem a filia, nascentem à creatura creatorem; Semel genitum, iterum genitum; Saturitatem hominum, & angelorum esurientem, lætitiam cælorum deplorantem in terris; Vniuersam mundi machinam, & cælorum amplitudinem adimplētem; contentum, & abreuiatum in præsepio; Sublimem cælorum pulchritudinem sideribus, & totam vniuersi faciem mira venustate liberaliter vestientem, pannis sordidis, & humilibus vestitum; Adoratū ab angelis, à brutis animalibus circumseptum. O mirabilem matrem, mirabilem filium, mirabilem partum, mirabilem locum, & admirabile obsequium! Alia ad miranda Dei mirabilia ne miremini, hoc vnicum admirantes stupefacti. Nam tota omnipotentia Sanctissimæ Triados, & incarnatione Verbi propositis ob oculos; Hæc in maiorem multoties admirationem rapit, quam illa, non quia Deo possit aliquid addi, nec quia possit aliqua magnitudo maior ipsius magnitudine reperiri. Sed quia hæc eadem magnitudo in se, & in sua immensitate considerata non tantum obstupefacit, quam abreuiata in carne. Illud enim est Deo naturale, hoc autem ab illius natura peregrinum, & alienum: *Peregrinum est opus eius: ab eo cecinit Isai. cap.* 28. Mirabiliorum operum Dei, quæ poteras mirari? Immensum mare populo per ipsum ambulante diuisum, Exod. 14. Mirare potius Oceanum infinitum in modico corpusculi vasculo conclusum. Quid dico, modico corpusculo? Minori quam ab initio mundi visum fuerat, neq; vsque ad consummationem illius videbitur aliud. Hominum enim cæterorum corporibus infunditur anima die quadragesimo, vel octuagesimo à conceptione, corpus vero diuinum, & sacerrimum Christi Domini, in eodēmet instāti cōceptionis, quādo vix apis tenuissimæ

ſimæ magnitudinem adæquabat organizatum, diſpoſitum, & animatum remāſit. Quid poteras prætereà mirari? Rubum illum ardentem incombuſtū. Exo.3. Mirare potius Virginem Regiam; Deum, & hominē, ſine aliqua ſui corruptione mirabiliter parturiētem. Matris integritatem nō minuit, ſed ſacrauit. Integritatis Virginis, non diminutæ, ſed ſacratæ, vt canit Eccleſia, rationem appoſitiſsimam reddit meum propoſitum thema, & proſequutum intentū. Lux enim iſta cæleſtis, Oriens hodie diuinus iſte iuſtitiæ Sol, omnes ſolis materialis effectus ſimiliter, & mirabilius efficit. Audite. Ille dum adeſt alicubi calorē generat, iſte illos, quibus adeſt nimio calore charitatis incendit. Ille dum abeſt homines acerba rigidorū frigorum aſperitate compeſcit. Iſtius abſentia animę contractæ læthalium peccatorum frigiditate torpeſcunt. Ille niuem puram, & candidam liquefacit, iſte peccatorum corda niuea, & pœnitētia ſuper niuem dealbata in humentes lachrimarū fluuios liqueſcere facit. Ille obſcænum, & turpe lutum ſemper indurat;
Pſal. 39. iſte peccatores obſcænos in lacu miſeriæ, & in luto fæcis miſerabiliter inhærētes & obſtinatos indurat, non indurando poſitiue, vt aſſerunt Theologi cum D. Thō. 1. 2. q. 79. a. 3. Sed patienter tolerando ſecundum Originem lib. 3. Periarchon cap. 1. vel non impartiendo gratiā, & eā, quibus impeditur induratio ſecundum Aug. lib. 1. ad Simplicianū; vel permittendo propter antecedētia peccata homines vexari & ſuperari à dęmone ſecundū Chriſoſt. & alios. Pręterea Sol materialis terram calefaciens fert in altum vapores, iſte corda terrena fouens, illorū deſideria in cælum ſubleuat. Ille in viſceribus terræ diuites gēmas, & aurum nobile gignit; iſte in viſceribus animæ aurū charitatis, & alias virtutes admirabiles creat. Ille aſ-

picientes

picientes excæcat, iste aspicientes temere lucem illius essentiæ, & illam intueri procaciter conantes excæcat adeo, vt in hæresum baratra profundissima cecutientes sæpissime detrudantur. Ille tandem, vt ad intentum virginitatis nõ diminutæ deueniamus omnia creata lumina, in cælis lunam, & alia sidera, & in terris faces ardentes, & alia radiorum suorum splendoribus obscurat. Sed Smaragdi prætiosi lapidis aliqualem lucem, illi à natura inditam, non solum non obscurat, non minuit, sed potius perficit, & clariorẽ, ac illustriorem reddit, ita vt veluti Sol ipse micans, & radians smaragdus illum aspicientium oculos obtundat. Ita similiter iste sol æstuans, & ignicomans, sic coram ipso pati deliquium omnia lumina cogit; Vt de Ioanne Baptista, quem Ioan. alter Euangelista, cap. 5. dixit esse lucernam ardentẽ, & lucẽtem, Ioan. idem cap. 1. dicat in præsentia lucis istius; *Non erat ille lux.* At virgo nostra singulariter lucẽs, est smaragdus. Audi Ioan. Apoc. cap. 4. dicentem, in cęlo vidisse sedem occupatam, à quodam, quem dominum esse nullus inficiatur. Quam ardenter splendescere velut smaragdum affirmat; *Iris in circuitu eius, similis visioni smaragdinæ.* Nunc igitur audi virginem ipsam Ecclesiast. cap. 24. clamitantem, & appellãtem se, ipsius domini sedem, tronum, & tabernaculum. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Ergo si Beata Virgo est ista smaragdina sedes, & illius micantes radij, sunt virtutes, quib' lucidissime claruit, inter quas fulgidius equidẽ emicuerunt virginitas, & integritatis obseruatio, valde rationi cõsentaneum est, quod flammiger iste Sol exoriens isto mane, & istos illius, velut smaragdi radios illuminans, non solum illos non obscuret, non minuat sicut cætera lumina, sed perficiat, clariores, & illustriores reddat, sicuti reddidit, & perfecit, ma-

 tris

tris integritatem non minuit, sed sacrauit. Quod pr[illegible]terea operum Dei mirabilium mirari poteras? Elisæum Prophetam magnum paruulo puero mortuo, cōmensuratum, vt illum suscitaret, quem antea neq;
4. *Reg.* 4 per baculum, neq; per seruum suscitauerat? Mirare potius maximum istum Prophetarum omniū Iesum, qui antea neq; per famulum suum Moisen, neq; per baculum illius, legem scilicet antiquam genus humanum mortuum suscitauerat, nunc maiestatem suam infinitam, virtutesq; diuinas, exigui pueri viribus cōmensurantem, & hominem mortuum viuificantem. Quid præterea Isai. c. 38. Solem Ezechiæ salutem indicantem decem lineis retrocessisse? Mirare potius Solem istum salutem nostram afferentem, vt asserit Malach. cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Alijs decem lineis, nouem scilicet choris angelorū, & humanitate retrogradū, Deum ab angelis minoratum, exinanitum, hominem factum, & lucem illius obscuratam, sed adhuc vndequaq; radios splendidissimos difundentem. Quemadmodum enim idem iste Sol in occasu pertinatium Iudæorum perfida malitia inter latronum sceleratorum nubes infestas, & vmbiliferas obscuratus resplenduit. Ita vt ab elementis, a lapididibus, ab astris, & a Centurione confessus fuerit. Ita similiter nunc idem iste Sol in oriēte, licet humanitatis humillimæ nube crassissima, & terrestri velatus, & occultus taliter scintillat, vt oculis antea tanta (vt diximus) lippitudine laborantibus, nunc apertis, & ab illo clare illuminatis a pastoribus, & a Regibus videatur, & adoretur. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Ibidem orta est illuminans omnem mundum rationalem, elementalem, intellectualem, & Archetypum. Mirabitur aliquis forsasse, quoniam mūdum etiam archetypū,

qui

qui Deus est, lucem istam illuminasse dixerim, quod iterum libentius affirmo. Quemadmodum enim Sol per splendorem, & radios ab omnibus cognoscitur, ita similiter pater æternus, per splendorem, qui puer iste est se mundo manifestat, & ab hominibus cognoscitur. Illuminatur etiam mundus intellectualis, angeli scilicet, qui degunt in illa ciuitate noua Hierusalem à Ioan. Apoc. cap. 21. delineata, *quæ non eget sole, neq; luna, quoniam lucerna eius est agnus*, iste nobis hodie feliciter exoriens. Mundum itidem elementalem, ab illo media nocte illuminatum attendite, Luc. cap. 2. *Pastores erant in regione eadem custodientes vigilias noctis, & claritas Dei circumfulsit illos.* Mundum vero rationalem, dictum Micocrosmos, qui homo est mille modis mirabilibus illuminatum, & vias illum ducentes in cælos fulgide clarefactas latissime probaui. Properemus igitur ad illos, si quidem clarũ iter inueniemus, si quidem etiam *nox præcessit, sicuti Paul. clamat Rom 13. Dies autem appropinquauit, abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.* Clarissimus enim dies iste nos vestibus tenebrarum indutos ambulare minime permittit. Si nobilis aliquis, & prudens vir incola ciuitatis huius egrederetur in meridie, & per medium alicuius publici ciuitatis fori inter omnes alios deambularet indutus vestibus nocturnis, quibus ciuitatem nocte perlustrat pudibundas virgines seducens, atq; nuptas pudicas inhonorans, tunica virili, & vdone sericis ceruleis, aut viridibus, ligaturarum bombycinarum nexibus perpolitis caligas purpureas, & calceos albos elegãter exornantibus, galero picturato diuersarum auium plumis versicoloribus tremule fulgẽtibus peruenusto, ense, atq; sicula argentatis, clypeo ferrato, & vmbone munito, & illustri palio auri spetiosi delineaminibus

bus

bus micantibus illito sese laute satis, & imprudenter occultans? Si aliquis inquam ita in meridie progrederetur? Non ne irrideretur ab omnibus, & æstimaretur insanus? Vtiq; quidem. Ita similiter insanus æstimabitur, qui in isto clarissimo, & fœlicissimo die, quem Paulus appropinquasse, & illuxisse clamat, vestibus nocturnis, peccatorum scilicet obscuritate, sicut in illa longa transacta nocte indutus imprudenter incesserit. Deponamus igitur sordidas istas, & caliginosas peccatorum vestes, vt in conspectu Solis huius lucidissimi, hodie nouiter exorientis decenter, & inverecunde possimus ambulare. Abijcite ergo opera tenebrarum, ignorantiæ caliginem excutite, fugite noctem periculorum innumerabilium infestam multitudine, diem inenarrabilium bonorũ pondere gratissimum salutate, sequimini columnam istã miraculosam illuminantem, & obumbrantem, Verbum diuinum abreuiatum admiramini stupefacti, solem istum pulcherrimum, & fulgentissimum exortum oculis animæ perspicacibus, & intentis aspicite, & adorate, & vt facies vestræ in regione vmbræ mortis, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat non confundantur; exhortatione Dauidis, accedite, & illuminamini splendore gratiæ; qui fulgor est gloriæ, *Quam mihi, & vobis idem iste Sol liberaliter impertiri dignetur.*

Iob.10. *Psal.33.*